

scilicet Petrum Canefrum, Vermum Platum, & Rubaldum Saccum. Inprimis Alexandrini restituant Marchionibus possessionem Braidarum, & omnium terrarum suarum Dominicarum cultarum, quas ante constructionem Alexandriae tenebant, & si de iis esset controversia per unum sapientem communi consensu electum decidatur, excepto si de his terris alligata esset in sediminibus, quod de ea alibi darent cambium, vel scontrum. Item Alexandrini restituant Marchionibus possessionem quartorum fictorum, & conditionum, & si de his aliquid fuerit detentum sub justa aestimatione restitui facient. Item omnes Alexandrini facient fidelitatem Marchionibus a quatuordecim annis supra, & septuaginta infra, & omni anno consules. Et e converso Marchiones dant in feudum Alexandrinis statum terrae, & civitatis, & castrum, & villam Ponzani cum tota ejus curte, & Marenzanam, similiter tali modo quod absolvunt Castellanos, & Paisanos utriusque loci a fidelitate sua, & tantum Alexandrinis teneantur, si Alexandrini fidelitatem servaverint. De regaliis vero Alexandrinis nullam faciunt Marchiones donationem, nec feudum in Alexandrinos, & propter hoc, quod Alexandrini non restituant Marchionibus ipsa regalia, nihil juris in his perdant Marchiones, nec propter hoc quod Alexandrini, vel alii ea teneant, non possint de infidelitate accusari. Item permittunt Alexandrini Marchionibus, quod non facient concordiam cum Domino Vermo sine ipsorum parabola. Item Marchiones omni quarto anno habebunt, & capient fodrum in Ponzano lib. 50., & non plus, & in Marenzana lib. 25, & non plus, & si Alexandrini non observaverint, nec attenderint Marchionibus, ut supra legitur, promittunt eis poenae nomine denariorum Papiensium 1000 libras, & si Marchiones non observaverint, nec attenderint Alexandrinis, ut supra dictum est, remittunt eis statum Civitatis, & confirmant. Et haec omnia ista qualiter supra legitur infrascripti Marchiones attendere, & observare promittunt istis consulis nomine totius communis Alexandriae; & versa vice isti consules nomine totius communis Alexandriae promittunt istis Marchionibus, & inde ambae partes duas cartas ejusdem tenoris scribi jusserunt. Interfuerunt testes rogati Dominus Otto Alexandrinus Electus, Carbonus de Puteo, Malatalia de Bonvicino, Praebiter de Aliano ec.

*Ordinatio facta per D. U. Aquensem Episcopum inter canonicos, & hospitalarios sancti Joannis Hierosolimitani.*

62

MCLXXX.

In nomine Domini. Ego U. Dei gratia Aquensis Ecclesiae Episcopus de controversia, quae vertebatur inter Canonicos Sanctae Mariae ex una parte, & hospitalarios Sancti Joannis ex altera parte sic statuo, quod Missa omnium mortuorum, qui debent sepeliri apud Ecclesiam Sancti Joannis (sancti Caloceri) debet esse Canonice, sive fuerint invitati, sive non, & omnes oblationes, quae in praedicta Missa fuerint, a nuncio canonicorum, & hospitaliorum sine fraude colligantur, & sine fraude

duae partes assignentur canonicis, & tertia detur hospitalariis: illis mortuis exceptis, qui professionem, & habitum conversi, vel hospitalarii receperint. De quibus liceat hospitalariis sepellire secundum beneplacitum suum. Si vero aliquis in extremis agens habitum Religionis sumserit, vel professionem fecerit hospitali, si infra tres dies mortuus fuerit, eandem portionem oblationis Canonici habeant, sicut praedictum est (duas partes oblationum Canonici habeant, sicut dictum est). Si vero post tres dies mortuus fuerit, hospitalarii liberam habeant facultatem sepeliendi eum sicut superius dictum est. De hospitalariis vero, & conversis, si nuncius Sancti Joannis (Sancti Caloceri) ad visitandum aliquem invitatus fuerit non liceat ei (sibi) poenitentiam dare, donec a Canonicis, sive ab eorum Capellano poenitentiam accipiat (1).

(1) In archivio Canonice Aquensis, unde hoc decretum extraxi, aliud reperi prorsus simillimum pro Ecclesia Sancti Caloceri, cujus variationes hic suis locis inserui, ne separatim edendo actum agerem.

*Confirmatio donationis D. Uberti Episcopi jam dudum a Gulielmo Episc. Aquen. factae monasterio S. Thomae Januen. duarum Ecclesiarum loci Pecetae.*

MCLXXXI.

63

Ubertus Dei gratia S. Aquensis Ecclesiae humilis Episcopus dilectae filiae Belendae Januensis monasterii B. Thomae Abbatissae, sororibusque suis in Christo, nec non canonicis sibi substituendis imperpetuum. Cognoscentes donationem duarum Ecclesiarum nostri Episcopatus, quarum una est fundata in honorem B. Martini in loco, qui dicitur Peceta, alia vero in castro ejusdem loci in honorem B. Aegidii, tibi dilectae filiae in Christo Belendae Jan. Mon. B. Thomae Abbatissae a D. Gulielmo B. M. quondam Aquen. Catholico Episcopo praedecessore nostro, communicato consilio fratrum suorum Aquensium factam esse cum omnibus possessionibus suis, omnibusque pertinentiis, rebus mobilibus, & immobilibus, decimis, & primitiis, seu quibuslibet aliis rebus eidem Ecclesiis pertinentibus in integram, & liberam administrationem, proprietatem, dominium, & possessionem, quibus & per omnia tibi dedisse, concessisse, investivisse vice, & nomine jam dicti monasterii B. Thomae per se, & suos successores in perpetuum intuitu pietatis . . . & pro magna, & utili necessitate sua, sive servitio tempore schismatis sibi devote impenso, & in personam nostram, tempore nostro eandem infrascriptam donationem communicato consilio fratrum nostrorum Aquensium canonicorum per nos, & nostros successores, & canonicos nostros approbamus, & confirmamus, & insuper omne jus, quod in utraque Ecclesia habemus auctoritate Dei, & nostra, & totius nostri capituli, illo eodem intuitu praedicto pietatis . . . & memorato cum in personam praedicti bonae memoriae praedecessoris nostri, tum in persona nostri servitio impenso tibi praedictae Belendae Abbatissae, & ejusdem honestate, bonitate, ac religione consoriorum suarum ejusdem monasterii, & con-